

TRACTATUS V.

DE SEXTO, & NONO PRÆCEPTO DECALOGI.

Non machaberis: Exodi 20. Non concupisces uxorem proximi tui. Deut. 5.

Conjugo hæc duo præcepta, quia in utroque prohibentur peccata impudicitæ, seu luxuriæ. Est autem luxuria inordinatus appetitus, seu usus delectationis vel sensus veneri, qui fit cum commotione spirituum generationi servientium. Porro hæc luxuriæ peccata possunt esse imperfecta, ut sunt cogitationes & delectationes impudicæ, ac desideria solum interna; vel sunt perfecta, quæ secum ferunt terminum actionis veneræ, nempe effusionem seminis, eaque sunt in duplici differentia. Alia dicuntur naturalia, quæ naturæ non repugnant, ut fornicatio, adulterium, incestus, cet. alia innaturalia, quæ repugnant ipsi naturæ, quia conditiones ab ea institutæ non servantur, ut sodomia, bestialitas, cet. quæ gravissima sunt peccata, & inter se differunt juxta modum, quo perpetrantur.

CAPUT I.

De peccatis luxuriæ non consumatæ.

1. *Quest. 1.* Qualia sunt peccata oscula, tactus & similia extra matrimonium? R. oscula, amplexus, tactus extra matrimonium, ex inten-

tiome delectationis veneræ sunt peccata mortale. Ita omnes; quia sunt ea impudica, & talis delectatio tendit ad luxuriam perfectam. Hujusmodi autem actiones sunt ejusdem naturæ cum perfectis, sive consummatis; ideoque in Confessione explicandum, utrum sint habitæ cum persona ejusdem, vel diversi sexus, libera, vel conjugata, cet. V. propos. damnat. ab Alexandr. VII. R. 2. oscula, amplexus, compressio manuum & similia non obscena, si fiant tantum officii causa, ut S. Th. docet 2. 2. q. 15. a. 4. aut lex patrio more, vel amore honesto, modo absit periculum delectationis veneræ, non sunt peccata; quia per se non sunt impudica, nec tendunt in actionem veream. Ita communiter cum S. Antonino p. 2. tit. 5. c. 1. §. 10. Quod si hæc fiant ex aliqua levi vanitatem, joco, ac petulantia, vel curiositate, erunt solum veniale peccatum, modo absit periculum delectationis veneræ, aut affectus libidinosi. Hæc tamen omnia, erunt grave peccatum ex tutiori opinione, si crebro fiant, vel cum mora, aut ardore, & sensibili delectatione, cum valde excitent ad libidinem, & facile declinent ad rem veream, attenta fragilitate hominis, & in libidinem naturali propensione.

2. *Quest. 2.* Quid dicendum de tactu, & aspectu partium inhonestarum proprii, aut alieni corporis? R. 1. si tactus partium verendarum proprii corporis fiat ex necessitate, aut ex fine aliquo honesto, nullum erit peccatum, atque idem dico de ipsarum aspectu, ut nemo dubitat. Hinc Medici, & Chirurghi non peccant dum ad

medendum tangunt, vel intuentur inhonestas. Quod si id fiat sine necessitate, aut causa rationali, non caret culpa; & quidem gravi, si fiat morose, & studiose, aut cum commotione spirituum, etiam si desit animus venereus; cum sit actio turpis, per se tendens ad effusione seminis. Excusant tamen aliqui cum Tournelyo a gravi peccato eam, qui ex levitate tantum, aut curiositate, & sine mora proprii corporis pudenda tangeret, aut aspiceret. R. 2. a mortali non possunt liberari propter periculum veneri affectus tactus, & aspectus partium inhonestarum alieni corporis, etiamsi fiant ex sola curiositate; maxime si persona sit diversi sexus. Alii tamen a mortali excusant eos, qui obiter tantum, aut ex loco remoto aspiciant pueros nudos, atque etiam ancillas, tangentes pudenda puerorum, dum vestiunt, nisi cum mora, aut carnali delectatione id faciant. Aspicerem autem pudenda brutorum ex curiositate per se non est mortale; eorum tamen commixtionem cum mora intueri, periculosum est, ut bene notant Lacroix, & Salmant. censes. *Quæst. 3.* An sit peccatum, aspicerem partes honestas personæ pulchræ diversi sexus? R. id per se vacare culpa, si ex urbanitate, aut alia causa honesta fiat. Erit tamen veniale, si aspectus sit diuturnus, aut intercedat curiositas, quin & mortale, si periculum sit proximum turpis affectionis. Aspicerem autem partes minus honestas, sed non turpes mulieres, ut pectus, brachia, &c. erit grave, aut leve peccatum, prout majus, aut minus sit periculum, aut mayor,

minorve diuturnitas in aspiciendo. Aspicerem autem picturas obscenas tantum ex curiositate non censetur mortale, modo absit delectatio turpis, aut ejus periculum. Sed hoc difficile abesset in eo, qui pudenda mulieres depictæ intueretur, nisi id obiter faceret, vel in magna distantia. *Quæst. 4.* An verba turpia proferre, aut audire, grave sit peccatum? R. S. Ant. p. 2. tit. 5. c. 1. *Ubi talia verba turpia dicuntur ex quodam levitate ob solatium, quamvis de se non sint mortalia, tamen potest esse mortale rationem scandalizantem. Idem dicendum de facientibus, vel cantantibus cantilenas, plenus lascivii.* Est etiam grave peccatum, ea proferre ex jactantia proprii, vel alieni peccati, vel cum periculo turpis delectationis propriæ, vel alienæ, quod periculum frequenter adest coram adolescentulis. Pariter res turpe audire cum periculo scandalizantem, aut delectationis propriæ, vel alienæ, grave peccatum est. Eodem modo sentiendum est de legentibus libros turpes, & amatorios, in quibus frequens adest periculum excitandi desideria turpia, & complacentias adeoque raro possunt legi sine peccato, præsertim a juvene. Aliud est de iis, qui libros morales legunt, de his rebus tractantes, ut instruantur in officio Confessarii. *Quæst. 5.* An liceat interesse spectaculis turpibus, & choreis, & quale peccatum committant, qui illis intersunt? R. Si comœdia sit valde turpis, eam audire, est mortale propter periculum ruinæ spiritualis, quod in adolescentibus præsertim est maximum; aliquando tamen potest esse tantum veniale in iis, qui semel, aut

iterum eis intersunt curiositatis gratia, secluso omni periculo, & scandalo. Peccant item lethaliter omnes ii qui pecunia vel plausu tales comœdias fovent, cum ad grave peccatum coeperunt. Eas tamen permittere, vel non impedire, ex gravi causa necessitatis, vel utilitatis, nullum peccatum erit. Pariter rei gravis peccati sunt, & quidem scandali histriones, vel alii representantes eas, vel componentès, etiãsi malum non intendant, sed proprium lucrum, ut notat S. Anton. p. 2. tit. 23. §. 14. Notandum autem hic, quod docet S. Th. 2. 2. q. 168. a. 3. officium histrionum, quod ordinatur ad solatium exhibendum hominibus, non est secundum se illicitum, nec sunt in statu peccati mortalis, dummodo moderate ludo utantur, id est, non utendo illicitis verbis, vel facitis ad ludum, & non adhibendo ludum negotiis, & temporibus indebitis. Unde illi qui moderate eis subveniunt, non peccant. Si qui autem sustentant illos histriones, qui illicitis ludis utuntur, peccant, quasi eos in peccato foventes. D. Thomæ suffragatur S. Antoninus loco nuper adducto. De choreis autem, ait idem Ant. eas secundum se non esse illicitas, modo fiant honeste absque gestuculationibus inhonestis. Sed quoniam fieri solent inter juvenes diversi sexus, & intercedere solent familiare colloquium, attractio manuum, suavitas musici instrumenti, & similia, quæ facile excitant motus concupiscentiæ, frequenter sunt occasio peccati, & ideo a SS. PP. & Conciliis merito reprehenduntur. Hinc a Trid. prohibentur Clerici choreis assistere, & in diebus festis, præsertim ho-

ris cultui Divino addictis Christianis omnibus sunt interdictæ. *V. Const. Bened. XIV. datam 12. Aug. 1742.*

6. *Quæst. 6.* Quale peccatum sit permittere se ab aliis tangi? R. admittens puella tactus impudicos, ut mamillarum, vel obscenarum partium, peccat mortaliter; tum quia consentit alterius peccato, tum quia se exponit periculo delectationis propriæ. Pariter peccat puella, admittens oscula, amplexus; & manus contractationem, nisi certa sit id fieri ex more patrio, aut alio fine honesto, sine ullo pravo affectu. Ad vitandum autem impudicos tactus tenetur resistere & clamare, si opus sit, ob periculum consentiendi. De tactibus, & osculis inter sponsos, & conjuges dicemus in Tract. de matrim. & Spons. T. 2. lib. 2. Tr. 6. c. IV.

7. *Quæst. 7.* Quale peccatum sit turpe desiderium, & delectatio? R. 1. desiderium simplex, etsi inefficax rei venereæ sub mortali prohibitum est hoc præcepto; non concupisces. Itaque contrahit malitiam actiones, quæ desideratur, proindeque explicandum est in confessione, an objectum desiderii fuerit persona alterius, vel ejusdem sexus, soluta, vel conjugata; cet. R. 2. complacencia simplex, vel delectatio carnalis est peccatum mortale ex genere suo, nisi excuset indeliberatio, nec in ea admittenda est parvitas materiæ. Ratio est, quia quælibet delectatio venerea, deliberate quæsita, vel admissa natura sua ordinatur ad seminis effusionem, estque inchoatio quædam illius, quæ cum mortale peccatum sit extra conjugium, mortale

quoque erit omnis actus ad illam tendens. Præterea moraliter, & practice loquendo stare nequit delectatio vel minima in re venerea sine proximo periculo gravis culpæ; nec in re tam lubrica potest quis ita sistere in delectatione levi, ut graviolem non appetat, vel admittat, attendita naturæ corruptione. Nequit igitur admitti levis delectatio cum plena deliberatione sine periculo proximo gravis peccati; qui autem amat periculum, peribit in illo ex 3. Eccl. Quod periculum cum non sit æquale in aliis materiis, v. g. furto, potu, cet., ideo in illis admittitur parvas materiæ.

CAPUT. II.

De Peccatis luxuriæ consummatæ intra naturam.

8. *Quest. 1.* Quot sunt species luxuriæ consummatæ, sed naturalis? R. Sex, nimirum simplex fornicatio, stuprum, raptus, adulterium, incestus, & sacrilegium. Quinque ultimæ specialem malitiam continent, luxuriæ superadditam.

Quest. 2. Quid est fornicatio, & quale sit peccatum? R. 1. concubitus hominis soluti cum soluta, seu libera, scilicet a voto, matrimonio, religione. Ad eam refertur concubinatus, quæ est fornicatio continuata. Simplicem fornicationem esse grave peccatum, est fide certum ex Ap. ad Ephes. 5. *Omnis fornicator non habet hæreditatem in regno Christi.* Et 1. ad Cor. 6. *neque fornicarii regnum Dei possidebunt.* Estque prohibita jure naturæ, eo quod per se graviter

repugnet bonæ, ac debitæ educationi prolis, propter quam institutum est a Deo matrimonium. Ad praxim vero duo sunt hic notanda. I. congressum cum alterius sponsa esse peccatum gravius intra eandem speciem, & in confessione aperiendum. II. damnatam esse ab Alex. VII. hanc prop. *Qui habet copulam cum soluta satisfacit Confessionis præcepto, dicens: commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam.*

9. Circa concubinatum autem damnata est ab Alex. VII. hæc propositio: *non est obligandus concubinarium ad efficiendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad delactamentum concubinarium, vulgo regalo, dum deficiente illa, nimis ægre vitam ageret, & alia epule tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficile inveniretur.* A Tridentina vero Synodo indicta fuit concubinariis poena excommunicationis ferenda post tertiam monitionem, & poena ejectionis extra oppidum, vel diocæsim, implorato brachio sæculari. Hoc vero crimen pertinet ad utrumque forum, ecclesiasticum, & laicale. Idem Trid. Sess. 25. c. 14. Clericos concubenarios post primam monitionem privat tertiam parte fructuum beneficii; post secundam vero pensionibus, & Beneficii administratione; denique post tertiam exspoliat eos Beneficio, & communionem privat, & permittit Episcopo, eos tradere potestati Sæculari. Sunt etiam, qui velint, ipso jure esse suspensum concubinarium Clericum; sed negat communis sententia, idque colligi videtur ex ipsa doctrina Tridentini.

10. *Quæst. 3.* Quid est stuprum? R. est defloratio virginis ipsa invita; nam si consentiat, erit tantum simplex fornicatio; sed potest esse speciale peccatum rationem infamiae, moeroris parentum, rixarum, odii, cet.

Quæst. 4. Quid est raptus? Est cum aliqua persona, sive masculus, sive femina libidinis causa abducitur, per vim illatam vel ipsi personæ raptæ, vel iis, quorum potestati subest, puta parentibus, vel tutoribus, aut viro, non tamen fratribus, si mulier sit sui juris. Si quæ tamen sponte discedat cum amasio, non censetur raptus, sed fuga. Constituunt etiam raptum preces importunæ, atque etiam dolus in communi opinione. Porro raptus duplex peccatum est, alterum contra castitatem, alterum contra justitiam. Quod si fiat cum violentia mulieris invitæ, matrimonium est nullum. Si secus, raptor tenetur mulierem ducere, vel dotare, nisi mulier sit malæ famæ. *Trid. Sess. 24. c. 6.*

11. *Quæst. 5.* Quid est adulterium? Est concubitus illicitus viri cum femina, quorum alter, vel uterque sit conjugatus. Est grave peccatum contra castitatem; & contra justitiam; nam vir non habet potestatem sui corporis, sed mulier; & ista pariter potestatem sui corporis non habet, sed vir ex Ap. *ad Cor. 7.* Est etiam contra statum matrimonii, & Sacramentum: unde specialiter prohibetur a Deo: *non mœchaberis; & 1. ad Cor. 6. neque adulteri regnum Dei possidebunt.* Si femina adulterans sit conjugata, gravius est peccatum, quia si solus vir, propter graviora incommoda, quæ oriuntur. Si vero u-

terque, adhuc gravius est, quia sunt duæ injuriæ in utriusque conjugem, adeoque in confessione exprimendæ. Et quamvis alter conjux consentiat, adhuc peccatur contra justitiam, scilicet contra jus conjugii, cui cedere ipse non potest, & contra proprium statum. Hinc Innoc. XI. damnavit hanc thesim: *Copula cum conjugata consentiente marito, non est adulterium; ideoque sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum.*

12. Si quis uxorem suam sodomitico more cognosceret, probabilius adulterium committeret cum ageret contra bonum datæ fidei, & deberet in confessione explicare, sodomia commissam esse cum propria conjugate. Copula autem habita cum desponsata de futuro, non est adulterium in probabiliori sententia. Hæc tamen circumstantia speciem mutat ratione injuriæ, alteri illatæ, quamquam aliqui velint cum Layman, & Covarruv. solum esse circumstantiam aggravantem intra eandem speciem; eo quod sponsus per sponsalia nullum acquirat jus in corpus alterius.

13. *Quæst. 6.* Quid est incestus? est congressus cum consanguinea, vel affine usque ad quartum gradum. Hoc peccatum gravius est in consanguineis, quam in affinibus, & eo gravius, quo gradus est propinquior, quem proinde explicare oportet in Confessione, ut docent Navarrus; & Lugo contra alios, putantes omnes incestus quoad gradus esse ejusdem speciei, excepto tantum primo gradu consanguinitatis in linea recta. Ad hanc speciem revocatur fornicatio cum filia confessionis; quamvis enim pro-

prie non sit cognatio spiritualis, specialem tamen secum ducit turpitudinem propter obligationem ducendi illam ad salutem. Itaque est circumstantia exprimenda in Confessione, ut voluit Sanchez, Salmant. & alii. Repugnant non pauci, quibus stipulantur Elbel, Sporer, & Tournelius, eo quod in conferendis Sacramentis, præter Baptismum, & Confirmationem, non exoriatur cognatio spiritualis; neque aliunde sit sacrilegium (intellige quod hanc circumstantiam) neque injuria irrogetur Sacramento. Recte tamen monet Elbel, Parochum cum tali poenitente peccantem agere contra justitiam, ex qua tenetur aves suas pascere verbo pariter, & exemplo.

14. Q. 7. Quid est sacrilegium in hac materia? R. est violatio rei sacræ per actionem veneram. Rei autem sacræ nomine intelliguntur & locus, & personæ, Deo specialiter consecratæ. Unde sacrilegium est 1. omne peccatum externum luxuriæ, commissum a Sacerdote, vel Religioso, qui voto sit castitatis obstrictus. 2. etiam internum peccatum luxuriæ in persona Deo consecrata. Imo persona sacram rem veneram habens cum alia persona, duplex sacrilegium committit, cum Religionem dupliciter violet, scilicet peccato proprio, & alterius, cui cooperatur. Non ita qui duplici titulo persona est consecrata, ut qui Sacerdos simul est, & Religiosus; peccat enim contra idem præceptum, & ex eodem titulo. Ita communior sententia contra Lessium, & paucos alios. An autem Sacerdos, vel Religiosus, alium consilio inducens ad pec-

catum carnale, sacrilegium committat? Affirmant Lugo, & Salmant. sed rectius alii negant, nisi id ageret ex positivo affectu ad libidinem. Certe reus esset sacrilegii Religiosus, qui deliberate delectaretur de peccato carnalis alterius.

15. Circa locum autem sacrum, notandum est 1. copulam illicitam, vel pollutionem esse sacrilegium, si fiat in Ecclesia, vel Cœmeterio, vel Oratorio etiam privato, si ab Episcopo sit benedictum; non tamen in atrio, Claustro, cellis, aut alijs locis extra limen Ecclesiæ. 2. per copulam etiam maritalem committi sacrilegium, & pollui Ecclesiam, nisi fiat in morali necessitate conjugum, in qua forent, qui diuturno tempore non possent egredi Ecclesia, nec abstinere possent absque periculo incontinentiæ. 3. quicquid multi in contrarium sentiant, tactus impudicos in Ecclesia esse peccata sacrilegii; licet enim ea non violetur nisi pollutione, sed per has actiones gravis irreverentia infertur loco sacro. Imo probabilior sententia damnat ut sacrilegas omnes actiones externas graviter turpes, propter gravem deformitatem contra reverentiam debitam loco sacro. Aliud est de cogitationibus, aliisque peccatis mere internis, nisi contineant desiderium peccandi in ipsa Ecclesia; hoc enim desiderium indueret malitiam sacrilegii.